

- deferri faciunt &c. de Censib. in 6. Reiffenstuel ad tit. de Immunit. num. 249. Idem est, quando onera imponuntur rebus non ex virtute Jurisdictionis, sed ex titulo domini v. g. in feudo & emphyteusi arg. cap. extramissa 6. & cap. verum 7. de Foro compet. Conf. Petra cit. tom. 3. pag. 320. num. 24. & seqq.
- 2 De communi necessitate vel utilitate jam egi in hoc cap. à num. 258. &, quod ibi requiratur consensus Episcopi vel etiam Summi Pontificis, unà cum consensu Cleri, adstruxi in num. 262. Licet sub appellatione Cleri aliqui accipiant solum Capitulum Cathedrale; sicut & in aliis textibus, nempe cap. sine exceptione 52. XII. q. 2. cap. irrita 1. de his, qua fiunt à Prælati sine cons. sub eodem nomine intelligitur. Vid. Pirhing ad cit. tit. de Immunit. num. 72. & 79. in quo posteriori no-

tat ex Molina, non exigi consensum Pontificum, quando necessitas aut utilitas est communis Clericis & Laicis ob peculiaritatem aliqua Clericorum prædia, prædiis Laicorum vicina, ab quorum conservationem v. g. necessaria est fossa communis; etsi ad hoc Clerici non possint cogi per Superiorem Laicum, sed auctoritas Superioris Ecclesiastici accedere debeat.

Quàm rigida de cætero hac in re sit Bulla Urbani VIII. quæ incipit *Romanus Pontifex*, atque omnes consuetudines, etiam immemorales, privilegia, non- usum, aut usum contrarium abroget, & graves pœnas in Violatores Immunitatis Ecclesiasticæ interminet, videri potest ex ipsa Bulla, explanatâ à P. Reiffenstuel cit. l. num. 272. & seq.



SUPPLEMENTUM
AD
TRACTATUM II.
DE
JURE PROPRIETATIS.
CAPUT I.
De Jure Proprietatis in genere.

SUMMARI A.

1. & 2. Stabilitur assertio, ad acquirendum jus reale possessionem desiderans. 3. Resp. ad Grotium. 4. & seq. Resp. ad unam objectionem. 6. & seq. Resp. ad alteram. 11. Inducitur quaestio, quid juris, si unus aliter offerat, & aliter aliter acceptet? 12. Si dissentiant in toto genere, nihil agitur. 13. & seqq. Si dissentiant in specie tituli, Leges in speciem diverse medianse distinctione concordantur. 16. & seq. Dominium non acquiritur, nisi tradatur vacua possessio. 18. Præterquam si à Lege ipsa suppleatur.

QUÆSTIO I.

An & qualiter ad Jus Proprietatis requiratur traditio?

- 1 AD Jus Proprietatis personale non requiri traditionem, relucet ex hoc cap. num. 76. requiri verò ad Jus reale, nec posse dominium, spectatò etiam solò Jure naturali, in alterum transferri absque traditione, assertum ibid. à num. 77. & notanter in num. 81.
- 2 Suffragatur nobis præter alios Nicolaus Hertius in *dissert. de Convent. domini translat.* (extat in vol. 1. tom. 3. §. 14.) ex ea ratione: quia ratio naturalis domini consistit in potestate seu jure rebus fruendi, easque nobis applicandi: at naturaliter res, quâ frui volumus, conjungi debet cum persona fruētis, & corpus ad applicandum præfens esse illi, qui est appliciturus; neque res corporeæ moveri possunt, nisi instrumentis incorporatis. Et quamvis Grotius, à nobis in d. cap. num. 81. allegatus, dissentiat; nescio tamen, quomodò cum ejus asserto conciliari possit, quod scribit lib. 2. cap. 11. §. 4. & cap. 12. §. 15. & cap. 15. §. 13. nempe alienationem ipsam, quæ utique traditionem desi-

derat, esse diversam à promissione alienationis, ut illa facultatem moralem in rem tribuat, hæc non.

- 4 Neque obstat I. quòd ad translationem domini seu juris realis nihil aliud requiratur, quàm voluntas interna, signò externò sufficienter manifestata: cum enim jus reale sit aliquid incorporeum, corporali traditione vel actione opus non habet. Siquidem eodem propemodum modò, quò voluntas interna, tanquam ens incorporeum, desiderat sensibilem & corporalem declarationem, pro statu præfenti; ita etiam jus reale, licet corporis sit expert, eò magis ad sui translationem requirit aliquam actionem externam, seu traditionem vel quasi- cum plerumque, ut dictum in num. 2. corpus supponat, in quo deinceps per applicationem suas operationes efficiat.
- 6 Neque obstat II. quòd necessum haud sit, ut, qui jus reale obtinuit, non omnes effectus circa rem aut corpus exercere valeat; dum etiam in aliis casibus, puta si res furto auferatur, quis dominus maneat, quin effectus alios, quàm rei vindicationem, operari queat. Enimverò facilius est, ut, postquam rem accepimus, illius dominium retineamus, etsi casu aliquò vel infortunio nobis in vitis auferatur, quàm ut dominium rei, nunquam habitæ, acquiramus; sicut alias leviore manu res conservatur, quàm primò producitur. Itaque, ut quis fiat dominus rei, in alterius dominio existentis, aliquid aliud, præter voluntatem, externè manifestatam, videtur exigì, factum scilicet corporale, quò res in possessionem nostram veniat, ac mediante possessione dominium pariatur. Hocque factum non rarò suppletur à Lege: cum enim Lex supplere possit ipsum actum voluntatis internæ, atque ignorantibus & dormientibus jus quodpiam reale concedere; potest non minùs actum corporalem seu traditionem supplere, & dominium absque illa in alterum transferre. Quà ratione nihil agitur contra Jus Naturale, utpote quod non tam positivum seu absolutum quàm conditionatum est, ac tamdiu jus reale absque traditione in suspenso tenet, quàm diu Lex humana non succurrit, eaque suppletoriò modò præstat, quæ alioquin ex natura rei adesse deberent; quemadmodum in aliis ejusmodi materiis discurrere solemus.
- 7

QUÆSTIO II.

Qualis acceptatio requiratur ad Jus Proprietatis?

- 11 Quid aliqua acceptatio requiratur, & quidem ex omni Jure, constat ex præf. cap. à num. 52. Quia verò contingere potest, ut unus aliter acceptet, quàm alter offerat aut intendat, atque ad eò uterque in causa seu titulo dissentiat; videndum erit, an dissensus sit in toto genere, an solùm in specie tituli vel causæ. Si primum, veluti si ego tibi dem pecunias mutuas, tu recipias ut depositas aut commodatas; nihil agitur, nullumve Jus Proprietatis confurgit l. si ego 18. §. 1. ff. de R. C. error siquidem, sicut in cæteris, sic etiam in hoc negotio omnem vim & virtutem sufflaminat l. in omnibus 57. ff. de O. & A. Si secundum, ut si ego tibi donem pecunias, tu illas ut mutuas accipias, vel econtrà; non conveniunt Jcti, an Jus proprietatis seu dominium pecuniæ in accipientem transeat. Affirmat enim Julianus in l. 36. ff. de A. R. D. nec impedimento esse, dicit, quòd circa causam dandi atque accipiendi dissenserimus. Negat verò Ulpianus in d. l. si ego 18. in præf. ff. de R. C. ubi ait, donationem non esse; imò nec mutuum esse pecuniam, magis- que nummos accipientis non fieri, cum alia opinione accepit. Inter diversas conciliationes, à Clariss. D. Herz in *tract. Beato Cive p. 2. cap. 2. §. 1. num. 9.* subtiliter propositas, arridet illa, quam habet in num. 10. nempe Julianum loqui de translatione juris in re seu domini, in quam, cum uterque consentiat, dans & accipiens, nihil remorari videtur, quò minùs dominium translatum esse censeatur per d. per traditionem 40. Inst. de R. D. cum etiam, si falsa causa subit, si modò vera esse putetur, dominium transferri possit, ut patet in solutione indebiti & datione sine causa: Ulpianum ex adverso intelligendum de jure ad rem seu obligationem, quæ, ut oriatur, requiritur determinata & specifica causa seu titulus, in quo dum partes dissentiant, neutra obligatur; nec quicquam obstante, quòd Ulpianus pronuntiet, nummos accipientis non fieri: quia in contractu mutui, ut valeat, & obligationem gignat, Jcti communiter considerant, nummos debere fieri accipientis l. proinde 8. l. rogasti me 11. in præf. & §. seqq. l. nam & fur. 13. in præf. l. ejus qui 41. ff. de R. C.

QUÆSTIO III.

An Jus Proprietatis reale seu dominium acquiratur, si non tradatur vacua possessio?

- 16 Diglantur rursus inter se Jurisperiti, & in utramque partem sua argumenta proferunt, uti videre est apud cit. Clariss. D. P. Schmier *Supplem. Jurispr. Canonico-Civili.* Herz num. 13. & seqq. Communior tamen sententia tenet, non censei jus reale aut dominium translatum, nisi simul tradita sit vacua

cua possessio l. qui pradium 13. Cod. de Distract. pignor. l. cum res 12. Cod. de Probat. l. si pater 8. Cod. de Act. empi. Quamquam enim possessio sit jus, distinctum à dominio & aliis juribus realibus; est tamen basis & fundamentum aliorum jurium realium, quæ sine possessione vel quasi - tuam vim & efficaciam.

exerere nequeunt. Cum quo nihilominus bene stat, quòd interdum ex speciali Legis dispositione jus in re absque ulla possessione possit acquiri; veluti patet non solum in jure hæreditario, sed & rebus aliis, quarum dominium absque ulla traditione comparatur.

CAPUT II. De Dominio in communi.

SUMMARI A.

1. Probatur divisio domini in universale & particulare. 2. & seqq. Explicatur, quomodo hæreditas magis consistat in jure quam in corpore. 5. & seqq. Explanatur, quid habeat in re ipsa dominium universale. 11. Discursus methodicus de divisione domini. 12. & 13. Qui feras capit in alieno, non committit furtum. 15. & seq. Nec tenetur ad restitutionem. 17. & seqq. Etiam si dominus

venationis sibi dominium reserves. 20. Inventor rei potest illam mediante prescriptione irrevocabiler suam facere. 21. Ob bonam fidem. 22. Et titulum pro suo; ac 23. & seqq. Pro derelicto. 26. & seq. Resp. ad l. 44. ff. de A. R. D. 28. & seqq. Solvitur l. 21. §. 1. & 2. ff. de A. vel A. P. 31. & seq. Elucidatur l. 6. ff. Pro derelicto.

QUÆSTIO I.

Rectène dominium dividatur in universale & particulare?

1 Bonitatem hujus divisionis agnovi in hoc cap. à num. 41. Patetque ex eo: quia ex num. 7. dominium in genere est jus seu potestas immediatè de re nomine proprio disponendi per actiones Lege permissas. Vel igitur illa res, cujus sum dominus, est universalis, habens sub se varia jura, corporalia & incorporalia; vel est particularis, certa & determinata. Si prius; est dominium universale: si posterius; est dominium particulare.

2 Nec refert I. quòd hæreditas sit nomen juris, magisque in jure quam corpore consistat §. incorporales 2. Instit. de R. D. imò sine ullo corpore juris intellectum habeat l. hæreditas 50. in pr. ff. de Hæreditat. petis. consequenter sub dominium, quod rem corporalem desiderat, cadere nequeat. Siquidem in nostra domini definitione, primùm assignatà, nihil meminimus de re corporali, sed de re in genere, cujus vocabulò res corporales & incorporales continentur pr. Inst. d. t. res autem incorporales sub dominium cadere, innotescit ex l. qui usufructum 3. ff. si usufr. pet. l. semper 15. §. 8. ff. quod vi aut clam.

4 Cadere quoque sub dominium hæreditatem, eamque dominium universale vocari, sicut & hæres dominus universalis nuncupatur, eruitur ex §. ult. Inst. de Hæred. qual. & differ. l. his verbis 48. ff. de Hæred. inst. l. successorium 1. in pr. ff. de Successor. ed. l. de hæreditate 19. §. 3. ff. de Castrensi pecul. l. sciendum 70. §. ult. ff. de P. S.

5 Nec refert II. quòd dominium juris, quale esset dominium universale seu hæreditatis, propterea non possit agnosci tanquam genu-

na domini species: quia juxta Titium in thes. Jur. de A. R. D. num. 1. est inane nomen & falsus conceptus, nihil ponens in re, dum, si v. g. dominium servitutis aut pignoris habeas, nihil aliud tibi competet, quam simplex servitus aut pignus; neque alia actio, quam confessoria aut hypothecaria. Enimverò eòdem, qui dominus juris est, possit de eo disponere pro suo libitu per actus inter vivos & ultimam voluntatem, ac v. g. jus servitutis vendere, donare, legare, utique dominium juris non pro spuria sed legitima domini specie agnosci debeat. Neque nomen inane vel conceptus falsus appellari poterit, dum servitus quæ talis seu formaliter spectata plus non importat, quam jus utendi fruendi aut aliud faciendi in re aliena, salva ejus substantia; & objectivè considerata, quatenus subsistat dominio, potest, ut dictum, in emptionem, donationem, permutacionem &c. deduci. Hinc etiam non tantùm actio confessoria pro servitute, & hypothecaria pro pignore conceditur, sed etiam rei vindicatio, saltem latius accepta per textus in l. si fundo 1. in pr. l. nisi frui 5. §. 1. & 2. ff. si usufr. pet. l. de Servitutibus 2. §. 1. & t. r. ff. si Servit. vind. l. si fundus 16. §. 3. ff. de Pignor. Et, quidquid dicatur de dominio aliorum jurium, profectò dominium universale hæreditatis habet pro objecto corpus quoddam mysticum, seu (si hic terminus non placeat) totum quoddam collectivum, seu universitatem, ex rebus corporalibus & incorporalibus, mobilibus & immobilibus, juribus activis & passivis compositum, uti explicatur

tum fuit in hoc tract. cap. 3. num. 1. & 2. pròindeque à ratione & specie veri domini excludi non potest. Et quamvis habeat actionem specialem, quam hæreditatis petitionem vocamus; comprehenditur nihilominus sub dominio in genere, & à dominio particulari tanquam species à specie distinguitur: ipsaque petitio hæreditatis non incongruè potest appellari universalis rei vindicatio per l. legitimam 8. ff. de Hæredit. petis. l. post

actionem 1. §. 1. & ult. ff. Si pars hæredit. petis.

Methodicè itaque discurrendò, dominium 11 immediatè dividi potest in universale & particulare; & si lubeat, particulare subdividui in dominium rei incorporalis & corporalis; deinde dominium rei corporalis ulterius secari in plenum & non - plenum, vel in alias species, de quibus in cor. cap. 3. tractatum est.

QUÆSTIO II.

An, qui contra prohibitionem Domini, ad quem spectat jus venandi, feram capit, illius fiat dominus?

12 In hærendò dispositioni Juris Communis certum videtur, quòd fiat dominus, prout patet ex textibus, in hoc cap. num. 65. citatis. An verò, spectatò Jure modernò, quò venatio in plerisque locis sub gravibus etiam poenis interdicta est, per illicitam venationem dominium feræ acquiratur capienti? Non omnes sunt unius mentis. Aliqui putant, quòd furtum committatur; ideòque supponunt, capientem non fieri dominum: quia, ut Grotius de J. B. & P. lib. 2. cap. 8. arguit, sola Lex & sola itidem divisio potest proprietatem constituere sine actuali occupatione. 14 Sed contra egregiè instat Clariss. D. Herz de Beato Cive cap. 1. §. 1. num. 6. id verum esse, quando termini, ad dominium transferendum habiles, adfunt: hic verò ejusmodi termini non apparent, ex quo fera bestia est nullius, & in libertate naturali posita, ac præter occupationem aut divisionem modum illum acquirendi dominium non agnoscit.

15 Alii volunt, non quidem furtum committi, capientem tamen ad restitutionem obligari; haud secus ac, qui thesaurum invenit in alieno fundo, eum tamen pro parte vel toto restituere tenetur fundi domino. 16 Verùm & hanc paritatem enervat idem Vir Clariss. d. l. num. 7. quia thesaurus fixæ glebæ incubat, & non de naturali, sed humano Jure totus vel pro parte cedit loci domino:

nam eòdem Naturali Jure in nullius dominio esse, ac inventori cedere, communiter asseritur, ut patet ex hoc ipso cap. num. 77.

Nonnulli existimant, saltem tunc capientem 17 non acquiri dominium, quando v. g. Dominus Territorialis, ad quem privatè jus venandi pertinet, per specialem Legem sibi dominium terarum, ab aliis illicite captarum, reservat: cum ex virtute eminentis domini, sicuti jus jam acquisitum à subditis extingui potest, ita & multò magis impediri possit, ne acquiratur. At neque ista ratio omnino 18 convincens apparet: quippe cum dominium, quod vocant, eminentis majoris efficaciam non sit, quam dominium proprietatis, plendò jure alicui quæsitum: hoc autem se non extendit ad res, quæ nullius sunt; indeque nec illud ad ejusmodi res, quæ sub nullius unquam dominium redactæ sunt, extendi poterit. Vid. Clariss. D. Franciscus Josephus Michael Einhorn p. m. in dissertat. de Justitia sect. 1. §. 9. num. 85. & seqq. Et 19 quis facillè sibi imaginetur, aves, in aère circumvolitantes, jam comprehendi sub eminenti dominio alicujus Principis, quòd per illius territorium volaverint, nec tamen longà aut brevi manu sint captæ? Potius nihilolecius hac in re Moralistarum judicio me subicere, quam decidere quidpiam, volo.

QUÆSTIO III.

Utrùm res inventa possit mediante prescriptione in dominium emptoris irrevocabiler transire?

20 Profundè simul & argutè præsentem quaestionem discutit Clariss. D. Herz d. p. 2. §. 2. num. 28. & seqq. Quoniam verò in hoc cap. num. 74. affirmativam insinuavi, dicendò, quòd inventor, si, adhibitâ morali diligentia, dominum investigare non potuit, rem inventam possit retinere, & quidem irrevocabiler, si tempus, ad prescriptionem sufficiens, accedat: hinc, ut assertioni huic fidem majorem faciam, probare necessum habeo, omnia prescriptionis requisita hic concurrere posse. Igitur incipiendò à bona fide, eam conciliat prudens dictamen,

quâ inventor, dominò post sedulam inquisitionem non comparente, judicat, se rem inventam justè detinere: innixus siquidem opinioni communi & tutæ Theologorum potest se practicè resolvere, quòd securâ conscientia possit insistere rei, cujus dominus ignoratur. Deinde titulus, qui alias bonæ fidei causa dicitur, geminus occurrit, puta titulus pro suo, & pro derelicto: ille quidem, dum inventor, uti mox dictum, probabiliter saltem credit, rem esse suam, in cujus domini notitiam devenire haud possit arg. l. ult. in pr. ff. Pro suo ibi: usufructu re-

- rum ex aliis causis concessa interim propter eas, qua nostra existimantes, possideremus, constituta
- 23 est, ut aliquis litium finis esset; iste verò, ex quo non sine ratione existimat, eum, qui in rem deperditam non melius inquit, illam pro derelicta habere: sicut ergo existimata seu præsumpta rei derelictio in nostris principiis titulum quasi primævum usucapioni subministravit; ita etiam pro titulo secundario seu derivativo non ineptè deserviet.
- 24 Adhæc, quamvis possessio rei inventæ ab initio sit impropria, & ad eum ferè modum, quò depositarius possidet; postquam tamen, morali adhibitâ diligentia, factâque indagatione publicâ & privatâ, nemo, qui dominum se profiteatur, se offert, ex præfato titulo pro suo & pro derelicto incipit possidere propriè cum opinione domini: posse enim causam possessionis mutari, si titulus alius ab extrinseco superveniat, deducitur ex l. cum nemo 5. Cod. de Acquir. possess. De tempore demum anxii esse non debemus, quando res trita est, res mobiles usucapi trienniò, initium capiente, ubi præscribens possessionem propriam nactus est.
- 26 Dices I. in l. Pomponius 44. ff. de A. R. D. deciditur, porcum, à lupo raptum, sed illi ab alio rursus ereptum, nostrum manere, quàm diu recuperari possit: eripientem verò, si mihi porcum ereptum restituere detrectet, & furti & ad exhibendum teneri, & porcum vindicari posse.
- 27 Resp. non solum latam disparitatem inter porcum raptum, & gemmam v. g. inventam intercedere, sed etiam ad nostrum propositum cir. l. malè quadrare, dum & nos admittimus, rem perditam nostram manere, quàm diu recuperari possit; præscriptione autem ab inventore completâ, non amplius potest recuperari, nec nostra manet.

Dices II. in l. interdum 21. §. I. ff. de A. 28 vel A. P. Javolenus, quod ex naufragio, aut, expulsus est, usucapi non potest: quoniam non est in derelicto, sed deperdito. Idem juris (subdit in §. 2.) esse existimo in his rebus, qua jacta sunt: quoniam non potest videri id pro derelicto habitum, quod salutis causâ interim dimissum est. Igitur res, etiam à viatore perditâ, non censetur esse in derelicto.

Resp. res, è navi jactas, cum fortuito amissis per cir. l. in eo equiparari, quò nec hæ nec illæ ab inventore præscribi valeant, si usucapionem mox inchoare velit; at, si velit illam inchoare, postquam in dominum non perfunctoriè sed sedulo inquisivit, & nullum invenit, utraq; ex titulo pro derelicto possideri, & transactò legitimo tempore, præscribi possunt. Indeque, quod dixit Ulpianus in cir. l. Pomponius 44. ff. de A. R. D. ejectum vel naufragio amissum non statim nostrum esse desinere, non dixit sine ratione; tacitè insinuat, desinere esse nostram suo tempore, si nempe, ut memini, præscriptio omnibus numeris fuerit absoluta.

Dices III. nemo potest pro derelicto usucapere, 31 qui falso existimaverit, rem pro derelicto habitam esse; prout enuntiat Julianus in l. nemo 6. ff. Pro derelicto. At in nostra hypothese inventore falso existimat, rem pro derelicto fuisse habitam, dum verus rei dominus non præsumitur, suum jactare voluisse. Ergo &c.

Resp. ex num. 21. & seqq. in nostra hypothese inventorem non falso, sed probabiliter & prudenter existimare, quòd verus rei dominus, in cuius notitiam deveniri non potuit, de rei recuperatione desperans, eam habeat pro derelicta. Quæ responsum confirmatur ex deductis in lib. 1. rr. 2. cap. 2. à num. 37.

CAPUT III. De Speciebus Dominii.

SUMMARIA.

1. Dominus directus habet jus retractus in feudo malè alienato. 2. & seqq. An etiam habeat, si consenserit? Auctores pro & contra adducuntur. 3. Emphyteuta retinet dominium utile in re ex parte destructa. 4. Tenetur illam restaurare. 5. Potest etiam id facere, invito domino. 6. Si plures recognoscant dominos, omnium assensum in alienatione impetrare tenentur. 7. Unum præterea pariter amittit.

QUÆSTIO I.

An Dominus directus in re feudali, à Vasallo alienatâ, habeat jus retractus?

1. Ita traditur in tit. 9. §. 1. vers. porro Feud. 2. in casu, quò, vasallò feudum alienante, agnati vel non volunt, vel non valent id revocare: potest enim Dominus directus, eodem oblatò pretiò, feudum redimere. Si 2. verò in alienationem consenserit vel expressè vel tacitè, censetur huic juri renuntiasse per cir. tit. 9. §. 1. in verb. nisi hoc beneficium

An Dominus directus in re feudali, à Vasallo alienatâ, &c. 181

amiserit per refutationem; & ea, quæ tradit, Petr. Marcellin. Corradin. de Jure Prælat. quæst. 28. num. 1. etiam si addiderit clausulam, salvò suo jure. Idem ibid. num. 29. & seqq. licet aliud doceat D. Blumblacher de Retractu p. 1. thes. 9. num. 16. & meritò: quia consensus domini solummodò facit, quòd alienatio valeat; non autem impedit, quòd minus res, licitè & validè alienata, à Domino directo jure retractus ad se possit revocari.

Quantum verò temporis spatium ad jus retractus, vel etiam protymiseos (de cujus utriusque convenientia & inconvenientia agit laudatus Corradin, quæst. 1.) sit præscriptum, apud hunc ipsum in quæst. 4. videri poterit. Si tamen inhæreamus cit. tit. 9. §. 1. vers. porro, perimitur annali silentiò, ex quo sciverit, computandò. Quòd etiam novissimè inclinavit D. Franciscus Jos. Herz in Element. Jur. Feud. cap. 7. Sect. 3. num. 65.

QUÆSTIO II.

An emphyteuta maneat dominium utile, re emphyteuticâ destructâ?

5. Non dubito, si res destruat, ut tamen adhuc pars aliqua, aut solum & fundus remaneat; prout de domo exusta adstruit, Martinus Pegius in tract. de Jure Emphyteut. p. 1. pag. m. 12. 14. & 15. quòd, cum remaneant onera seu solum, emphyteuta retineat dominium utile, indeque etiam ad solvendum canonem obligetur, dummodò tantum adhuc percipiat commodum, quantum præstando canonis sufficit. Quis imò hic Author in d. pag. 15. asserit, emphyteutam esse obstrictam, ut ædes combustas reedificet;

alioquin, si reedificationem intermittat, nihilominus integrum canonem ab eo pendendum. Insuper in d. pag. & seqq. concludit, posse emphyteutam, etiam invitò domino directò, domum collapsam aut in cineres redactam restaurare; quamvis non possit, sylvam, in emphyteusim concessam, in vineam commutare: quia domus redintegrata reassumit antiquam speciem; sylvam autem, in vineam conversâ, non assumit veterem speciem, licet vinea iterum devastetur.

QUÆSTIO III.

Utrum, si emphyteuta plures habeat dominos directos, in alienatione omnium consensum impetrare teneatur?

8. Resp. quòd teneatur: quia enim omnium interest, jus suum conservare intactum; omnium quoque consensus, ad faciendam rei emphyteuticæ alienationem, impetretur, necessum est arg. cap. quod omnes 29. de R. F. in 6. 9. Quòd si v. g. ex tribus dominis unum præter-

reat, non quidem totam emphyteusim perdit, sed tantum illam partem, respectu cuius illi directò domino est devinctus: cum tantum puniri debeat quòd illam partem, circa quam deliquit per l. rescriptum 6. ff. de his qua ut indign. Pegius cit. l. part. 3. pag. 92.

CAPUT IV. De Servitute.

SUMMARIA.

1. & seqq. An Servitus solius voluptatis aut commercii causâ possit constitui? Duo textus pro negativa. 3. & seqq. Rationes & textus pro affirmativa. 5. Explicatur l. 8. in pr. ff. h. t. 6. Dilucidatur l. 5. §. 1. ff. de S. P. R. 7. & seqq. Ostenditur, dari posse servitutem in faciendò. 11. Datur ususfructus causalis. 12. Sed non est species ususfructus. 13. & seqq. Indagatur, an & quatenus in operis servitute dicatur consistere usus aut ususfructus?

QUÆSTIO I.

An servitus solius voluptatis aut commercii causâ possit constitui?

1. IN contrarium desistit Huberus ad tit. Inst. de Servitute. sub num. 1. non solum quia, ut dicit Paulus in l. 8. in pr. ff. de Servit. ut pomus decerpere liceat, & ut spatium, & ut canari in alieno possimus, servitus imponi non potest; Sed etiam quia in l. ergo 5. §. 1. ff. de S. P. R. Neratius dixisse refertur, ut maxime calcis coquenda, & creta eximenda servitus constitui possit, non ultra

posse, quàm quatenus ad eum ipsum fundum operis est: consequenter commercii causâ servitus constitui non potest. Sed Huberi Scholiales ad cir. l. non immeritò defendit, Servitutem etiam solius voluptatis & commercii causâ posse constitui, tum propter l. 3. in pr. ff. de aqua quot. & aff. ubi Pomponius, hòc jure, inquit, utimur, ut etiam non ad irrigandum, sed